

que sensu Athei dici possunt, eo quod omnium sint proximi ad Atheismum plenum & consummatum: Inter eos vero eminent, qui *Deistæ* nuncupantur. Id nominis seculo XVI. enatum est, crebroque Gallorum & Italorum usu frequentatum, ad nos etiam pervenit. Vario autem sensu adhibitum illud est: ut plurimum quidem isto, ut honestiori vocabulo Atheos, qua implicitos, qua explicitos, designaret (ipsis etiam Atheis hanc appellationem minus odiosam exposcentibus) nonnunquam ut sigillatim eos indicaret, qui de natura, attributis & actionibus Dei profligate periculoseque docuerunt. Sunt, qui cum P. Bælio, *T. II. Respons. p. 318. 468.* Deismi & Deistarum vocibus ita utantur, vel potius abutantur, ut per hos intelligant ipsos Atheismi oppugnatores recte de Deo sentientes, quos interdum Bælius variata orthographia, *Theistæ* nominat. Io. Laurentio Luchesinio, *in Serie centum signorum fidei, Tr. I. Sect. V.* Theista, ut scribit, est, qui providentiam cultumque Dei negat, quem nobis Universarium vel Irreligionarium appellare liceat; ut adeo latius ille loquatur, non minus ac Hornbekius aliique, quibus Naturalistæ etiam inferiorum classum, qui revelata salutis mysteria repudiant, Deistæ sunt. Ita quoque Nicholsius in Collationibus Anglicis cum Deista istud nomen accepit. Bentlejus vero, de *stultitia Atb. p. 8.* Deistas dici autumat eos, qui Christianam fidem, providentiam, spiritus, animæ immortalitatem & judicium negent. *Vagus* itaque est vocis usus, (ut & nonnullis eos spe-